

igitur paucis ad pastorale magisterium dignus qualiter veniat, atque hoc indignus qualiter pertimescat ostendimus: nunc is qui ad illud digne pervenerit, in eo qualiter vivere debeat demonstramus.

## SECUNDA PARS DE VITA PASTORIS.

CAP. I. IS QUI AD REGIMEN ORDINATE PERVENERIT, QUALEM SE IN  
IPSO REGIMINE DEBEAT EXHIBERE.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Præ-  
sulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet  
namque ut metiri sollicite studeat, quanta tenendae recti-  
tudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione po-  
pulus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus,  
actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo,  
singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione  
suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra de-  
linquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum  
curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum  
providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Sed  
haec quae breviter enumerando perstrinximus, paulo latius  
replicando disseramus.

CAP. II. UT RECTOR COGITATIONE SIT MUNDUS.

Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla  
hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis.  
quoque cordibus pollutionis maculas tergat: quia necesse  
est ut esse munda studeat manus, quae diluere sordes curat;  
ne tacta quaeque deterius inquinet, si sordida insequens  
lutum tenet. Hinc namque per Prophetam dicitur: mundamini